



**TITVS VESPASIANVS**, ex patre Vespasiano, & matre Flauia Domicilla natus est III. Calend. Ianuarias, Anno, quo C. Caligula occisus est. Educatuſ in aula cum Britannico ſimul, ac paribus magiſtris & diſciplinis, adeouſq; à pueris ei familiaris, vt de potionē venenata, qua Britannicus periit, bibens, graui morbo periclitaretur. Inerant puero plures animi dotes, quæ ſimul cum ætate creuerunt, forma ſcilicet egregia, robur decens in mediocri ſtatura, ſingularis memoria, docilitas ad omnes ferè tum belli, tum pacis artes. Latina & Græcæ linguæ, vel in orando vel poëmatis fingendis promptus & facilis. In Muſica admodum exercitatus, vt canere pſallereque iucundè ſciret. Scribere notis ita nouit, vt omnes velocitate præcelleret, & quæcunq; vidiffet, chirographa imitaretur. Vbi adoleuit Tribunus militum in Germania, & Britannia militauit, tanta fama in vtriſq; prouincijs, vt imaginibus & ſtatujs donaretur. Poſt militaria ſtipendia in foro ſe exercuit. Quæſtor factus meruit Præfecturam legionum in Iudæa, Tarichæam & Gamalam vrbes validiſſimas in poteſtatem ſuam redegit, in qua oppugnatione multa egregia documenta ſtrenui ducis edidit. Veſpaſianus tanta filii virtute lætatus, cū acciperet Galbam Imperium aſſecutum, filium Titum ad gratulandum, cauſa officij, in vrbem præmiſit. Itaq; quaquà iter faceret Titus, omnes in ſui admirationem conuertit. Vbi verò turbari in Vrbe, rufus cuncta ſenſit, rediit ex itinere atque ad patrem in Iudæam profeſtus eſt. Sed vbi pater rerum potitus ad vrbem contendit, Titus ad perdomandum Iudæam relictus, Hieroſolymam crudeli oppugnatione, fame, ferro, flammâq; confecit, Annôq; ſecundo principatus Veſpaſiani, VII. die menſis Septembris, qua ſibi nata eſt filia, cepit, cū quinquies antè à barbaris Regibus, & à Pompeio magno capta eſſet. Deinde Romam reuerſus, particeps & tutor Imperij factus, cum  
patre